

acta, quid dignum memoria egerit præter unum, non re- 1464
 perio, quod Lemnum insulam ex Cominio pirata Peloponnesiaco recepit: is eam jam Othomani jure imperii fa-
 ßam, duabus triremibus occuparat, ac semel occupatam
 quum aliquandiu tenuisset, suis credo viribus diffusus, Ve-
 netis tradidit habendam. Classis circa Methonem, Jun-
 cum, Neapolim, ac Coronem hybernavit. Sub vernum
 tempus Ursatus Justinianus Lauretano in maris imperium
 successit. Circa nonas Januarias domo profectus, ob hy-
 mis inclem tam tertio tandem mense in provinciam cum
 tribus triremibus venit: ad Juncum unam & viginti trire-
 mes, quæ ibi stationem habebant, accepit. Cum his igi-
 tur atque illis quas secum duxerat, Methonem versus na-
 vigans, Lauretanum cum tribus rostratis navibus medio
 cursu obvium habuit: qui post mutuam salutationem, tra-
 dito jussu Patrum illi imperio, ad Sapientiam concessit.
 Ursatus tam diu Methonæ fuit, donec tota eo classis coi-
 ret: inde duabus & triginta triremibus profectus, Coro-
 nem concessit: mox Neapolim progressus, paucis diebus in
 Eubœam transmisit: inde Ægeas insulas circumvectus, ea-
 rum statum diligenter recognovit. Sed dum Ursatus hæc,
 in Patrensis sinus ora Nicolaus Ragius, & Joannes cogno-
 mento Crassus, cohortis unius præfctus, cum iis copiis quas
 habebant, aliquot maritima oppidula hostibus ademere.
 Franciscus autem Sidicinus, Ciccus Brandolinus, & alii
 plerique Veneti ductores cum tribus millibus hominum ad
 Mantineam oppidum castra communiverant. Hostes Pithi-
 mæ erant: quingenti eorum equites Talamatam progressi
 (quod oppidum intra utraque castra medium erat) statim
 Venetos in pugnam excivere. Contempta barbarorum pau-
 citate, subito accessu hostium alam Venetus invadit: susti-
 nent illi, injecto certamine, tam diu Venetorum impressio-
 nem, donec reliquus equitatus ex castris trepidissimis nun-
 ciis excitus assuit: tum vero illorum interventu oppressis,
 qui ab initio manum conseruerant, reliquos incompto agmi-
 ne, sine duce, sine signis, in ferrum ruentes passim ob-
 truncant. Ad mille & quingenti eo die cæsi dicuntur, &

*Veneti ad
 Talamatam
 in Pelopon-
 neso in-
 signem cla-
 dem acci-
 piunt.*